



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCCVI. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Regem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

nostro vtuntur seruitio , nostra modis omnibus debent
perfrui defensione , seruatori huius iussus , gratia corrupto-
ris pro iussu erit nihilo minus compositori.

Locus cor-
ruptus.

EPISTOLA CCCV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD HVGONEM ABBATEM.

Hortatur suadeat Ludouico regi vt ad se veniat. monet
etiam , vt se a quorumdam communione separet.

*Hugoni strenuo nobili , regali profapia edito , atque
excellentissimo abbatu.*

QVANTO vos , carissime fili , amore diligimus celebr-
rima fama vestri boni operis circumquaque accensi ,
explicare verbis nullatenus possumus. Quapropter , vt no-
stro desiderio præsentia vestrae capiamus effectum , matu-
re volumus hortemini Ludouicum regem filium nostrum ,
vosque cum eo ad nos concite properare : quatenus , Chri-
sto cooperante , exaltationem totius Christianitatis com-
muniter operemur. Sic agat vestra dilectio , vt tristitiam ,
quam animo de vestra absentia nuper Papia intulisti , leni-
re moderatissime valeatis. Inter haec ab omni te consortio
Formosi anathematizati optamus , fili carissime , separare ,
*d. Ro.
donet.
fi, Ioannis archiepiscopi * Rodomensis , Adelardi Turonensis ,
Frotarii Bituricensis. Data vt supra.

EPISTOLA CCCVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM REGEM.

*Embolum vt Carolomannum regem in ecclesiæ Romanæ
dilectione confirmet.*

IAM quod te , carissime fili , tantæ deuotionis , tantæque
fidelitatis erga vestra matris Romanæ ecclesiæ pontifi-
cium esse videmus , tamquam vtero natum monentes ro-
gamus , flagitantes hortamur , vt pro amore apostolorum
principum , quasi vestro proprio consulto , nec repræsenta-
liter , Carolomanno glorioſo regi mittatis , consilium dan-
tes , vt antiquos honorans amicos , fruens caritate , ad paren-

Concil. Tom. 24.

Yy

tum consilium redeat, & de epistolis, quas illi ex maritimo itinere remisimus, respondeat, & Romanam ecclesiam, quæ vobis vtrisque omnibus decus regale & imperiale intulit, venerando diligat, mittens præsentaliter ipsis anathematizatis Lamberto & Adelberto. Data vt supra.

EPISTOLA CCCVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD SVPPONEM COMITEM.

Mandat vt ad montem Cinisem obuiam sibi veniens, imperatricem Angelbergam, & præsules Mediolanensem & Parmensem idem facere moneat, vt simul quæ ad uitatem ecclesiæ pertinent tractare valeant.

Dilectissimo filio Supponiglorioso comiti.

Matth. 24. **Q**VIA nos, in quibus, Deo dispensante, fines sæculorum deuenerunt, pro sanctarum Dei ecclesiarum statu variis motibus ducimur, diuersisque fluctuum procellis impellimur, sed tamen non destituimur propter eum, qui nos confortat Christum Iesum, seruata prædecessorum nostrorum fidei proli Francorum, ad Gallias properantes idcirco venimus, vt pacis, atque unitatis vinculo regum corda concenteremus. Sed completum videmus, quod in euangelio legimus : *Quoniam abundauit iniquitas, refrigeravit caritas multorum. Quapropter vestræ dilectioni fidentissimæ, & probatae fidei mandamus, vt nobis cum officio decentiæ vestræ, ad montem Cinisem obui quantocius veniatis, vt pariter conuenientes, quæ ad uitatem congruunt, Domino permittente, tractare valeamus. Simulque hoc precamini dilectam filiam nostram Angelbergam imperatricem, atque Anspertum archiepiscopum Mediolanensem, VVibbodiumque Parmensem episcopum, aliosque fideles atque amicos.* Data vt supra.